



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio Prima. De pontentiis moralibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

TRACTATUS QUARTUS. DE ACTIBUS HUMANIS.

DISPUTATIO PRIMA.

DE POTENTIIS MORALIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quorū & quid sint potentie morales.



Potentia moralis dicitur, quæ conferre potest ad bonos mores, & idcirco à Morali Theologia consideratur. Quatuor autem sunt huiusmodi potentie, intellectus scilicet, voluntas, phantasia, & appetitus materialis.

Duæ priores, nempe intellectus & voluntas, constituunt partem superiorem, quæ nobis cum Deo & Angelis communis est: duæ posteriores, nempe phantasia & appetitus materialis, partem inferiorem, quæ nobis communis est cum brutis animantibus.

2. Intellectus, prout præsentis considerationis est, describi potest: animi lumen, quo mores ad honestatem conformantur. Ad intellectum sic sumptum pertinent synderesis & conscientia. Synderesis est habitus primorum principiorum moralium. Unde synderesis est in agilibus, id quod intelligentia est in speculabilibus. Conscientia est iudicium practicum, quo intellectus dicitur aliquid agendum esse vel fuisse velut honestum, aut aliquid fugiendum esse vel fuisse velut inhonestum. Conscientiæ sex sunt actus, nempe testificari, excusare, remordere, obligare, excitare & avocare. Nam actio moralis vel facta est, vel non. Si primum: vel fuit honesta, & tunc conscientia testificatur: vel fuit inhonesta, & tunc conscientia excusatur, si facta est ex ignorantia inculpabili; sin minus, remordet. Quod si actio moralis nondum facta est, vel est honesta, vel inhonesta. Si primum: vel est præcepta, & tunc conscientia obligat; vel non est præcepta, & tunc conscientia excitat. Si secundum: tunc conscientia avocatur.

3. Voluntas, quatenus est præsentis considerationis, rectè describitur: facultas animæ rationalis, quæ volumus aut nolumus id, quod intellectus honestum aut inhonestum esse iudicavit. Voluntatis multiplex est actus. Nam 1. alius est liber, & alius necessarius, de qua divisione inferius. 2. Alius est prosecutivus, qui versatur circa objectum quæ bonum, & alius aversativus, qui versatur circa objectum quæ malum. 3. Alius est naturalis, quem voluntas producit sine auxilio gratiæ; & alius supernaturalis, quem absque adiutorio gratiæ voluntas producere non potest. 4. Alius est bonus, qui conformis est regulæ morum; & alius malus, qui regulæ morum disformis est. 5. Alius versatur circa finem, & alius circa media. Qui versatur circa finem, triplex est, voluntas scilicet, intentio & fructio. Voluntas est simplex complacentia circa finem, nondum habita ratione mediorum. Intentio est amor efficax finis, seu propositum efficax obtinendi finem per media possibilia. Fructio est actus, quo voluntas versatur circa finem ut præsentem, & in eius possessione quiescit. Actus qui versatur circa media, est etiam triplex, nempe consensus, electio & usus. Consensus est actus, quo voluntas approbat media, sibi ab intellectu per deliberationem proposita. Electio est actus, quo voluntas ex mediis ab intellectu propositis unum alteri aut aliis anteponit. Usus est actus, quo voluntas potentias sibi subjectas applicat ad executionem mediorum.

Præter hos voluntatis actus, sunt etiam alii unde-

cim, respondentes passionibus, seu motibus appetitus materialis, videlicet amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, dolor, spes, desperatio, audacia, timor & ira. Amor est actus, quo voluntas propendet in bonum quæ bonum præcisè; & odium actus, quo voluntas aversatur malum quæ malum præcisè. Desiderium est actus, quo voluntas tendit in bonum absens quæ tale; & fuga actus, quo voluntas refugit malum absens. Gaudium est actus, quo voluntas in bono præsentis quiescit; & dolor actus, quo voluntas malum præsens cum inquietudine detestatur. Spes est actus, quo voluntas propendet in bonum absens arduum, apprehensum ut possibile; & desperatio actus, quo voluntas versatur circa bonum absens arduum, & apprehensum ut vix possibile. Audacia est actus, quo voluntas movetur contra malum absens arduum, apprehensum ut eluctabile; timor verò actus, quo movetur voluntas contra malum absens arduum, apprehensum ut vix eluctabile. Ira denique est motus voluntatis contra malum præsens arduum.

4. Phantasia est facultas animæ, perceptiva affectionis impressæ organo interno, & ea mediante, objecti sensibilis externi, à quo per organum externum in internum transmissa est. Est autem præsentis considerationis, quatenus est facultas perceptiva boni & mali sensibilis.

5. Appetitus materialis est facultas, quæ suo modo versatur circa bonum & malum sensibile. Actiones ejus vocantur passionēs, & consistunt in quadam immutatione corporis non naturali. Distinguntur in concupiscibilem & irascibilem. Concupiscibilis versatur suo modo circa bonum & malum sensibile, non habita ratione ardui: irascibilis verò circa bonum & malum sensibile prout arduum. Appetitus concupiscibilis sex sunt passionēs, seu diversæ corporis immutationes, Prima pertinet ad amorem, secunda ad odium, tertia ad desiderium, quarta ad fugam, quinta ad gaudium, sexta ad dolorem. Appetitus irascibilis passionēs sunt quinque. Prima pertinet ad spem, secunda ad desperationem, tertia ad audaciam, quarta ad timorem, quinta denique ad iram. Sed ex occasione data

Observa. Finis passionum est nature conservatio. Unde malè docuerunt Stoici, passionēs esse ex natura sua malas. Objectum passionum est bonum sensibile, ut prosequendum, & malum sensibile, ut fugiendum, in quantum scilicet voluntatem juvant ad prosecutionem boni, & ad fugam mali sensibilis. Subjectum passionum est corpus, quod immutatur. Causa efficiens, vel quasi efficiens, est appetitus materialis, qui nihil aliud esse videtur, quàm ipsum cor, quod prout hoc vel illo modo, cum hac vel illa quantitate, in has vel illas corporis partes sanguinem impellit, fortasse etiam adjuvante hoc vel illo motu valorum sese sic vel sic contrahentium aut explicantium, causat in corpore modò immutationem illam, quæ est passio amoris, modò aliam, quæ est passio odii, & sic de reliquis.

Hoc autem sic declaratur amplius. Objectum A, oculo propositum, sic commovet organum externum, quæ commotio propter fibrarum continuitatem traducitur in organum sensus interni; & ita objectum A, oculo propositum, sic commovet organum internum, mediante externo. Per talem autem commotionem organi interni sic excitantur spiritus animales. Spiritus animales sic excitati, in tali copia, per tales meatus, cum tali velocitate vel tarditate, secundum habitudinem corporis, è cerebro commeant in substantiam cordis. Hinc talis modificatio

siholes

sistoles & diaholes cordis, cum tali contractione vel explicatione orificiorum ejus. Hinc talis impulsio sanguinis in tali copia, cum tali velocitate vel tarditate, in tales corporis partes, ipsis etiam fortasse valis sese, propter talem appulsu spirituum animalium in tali copia, cum tali velocitate vel tarditate, sic contrahentibus aut explicantibus, & motu vermiculari in hanc vel illam partem agitantibus. Hinc talis immutatio corporis, talis passio.

Ex his facile intelligitur, 1. Quomodo objectum præsens possit excitare passionem in corpore, anima ad id nihil planè conferre, sed è contra, quantum potest, repugnante. 2. Quomodo idem possit objectum absens, sed aliàs sensu externo perceptum. Nam si, objecto absente, phantasma ab eo relictum in cerebro, de novo excitetur, quod pluribus modis fieri potest etiam invita anima, similem priori commotionem equalabit in organo sensus interni: unde similiter excitabuntur spiritus animales, &c. 3. Quomodo anima ipsa possit excitare passiones: potest enim cauare hanc vel illam commotionem in organo sensus interni, considerando hoc vel illud objectum, excitando hoc vel illud phantasma. 4. Quomodo possit anima passiones à se, vel aliunde excitationes continuare, promovere, minuire, compeicere. Potest continuare, promovere, quia potest continuare, promovere commotionem organi interni, continuando, promovendo perceptionem objecti, quod per illam commotionem attingitur. Potest minuire, extinguere, quia potest objectum priori oppositum considerare, & considerando, motum priori oppositum eiere in organo interno, qui posterior motus priorem extinguit, si major est; vel saltem retardat, si est minor. Quia autem motus posterior, qui initio minor est priore, sensim augetur, continuando & promovendo considerationem objecti oppositi, sensim minuitur, & tandem extinguitur motus prior, continuando & promovendo considerationem objecti oppositi. Anima igitur, ut sic loquar, nauta est, corpus navigium, organum sensus interni gubernaculum, quo navis modo aliditur ad scopulos, excitando, modo ab illis eximitur, sedando passiones, quæ voluntatem pellunt ad turpia & inhonesta; modo in medio mari secundo cursu fertur, cum excitantur, foveantur & promoventur passiones, quibus voluntas ad præclara quæque & honesta accenditur.

ARTICULUS II.

Utrum voluntas moveatur ab intellectu, à phantasia & ab appetitu materiali; quomodo moveatur, & quibus alitibus.

RESPONSIO I.

Voluntas moveatur ab intellectu.

Prob. Voluntatem moveri ab intellectu, nihil aliud est, quam voluntatem agere ex prævia cognitione intellectus. Atqui voluntas agit ex prævia cognitione intellectus, immò non potest agere nisi ex prævia cognitione intellectus: voluntas enim non fertur in incognitum. Ergo, &c. Itaque intellectus movet voluntatem, proponendo illi objectum, quod prosequitur vel averfatur. Objectum autem tribus modis proponi potest voluntati ab intellectu. 1. Ut bonum tantum, & tunc voluntas non potest illud non amare. 2. Ut malum tantum, & tunc voluntas non potest illud non odisse. 3. Partim ut bonum, & partim ut malum, & tunc voluntas potest illud amare vel non amare, illud amare vel odisse pro arbitrio.

RESPONSIO II.

Intellectus potest movere voluntatem per judicium quodlibet practicum.

Prob. Triplex est judicium practicum, unum scilicet generale, quo mens judicat in communi aliquid esse vel non esse agendum; alterum particulare hypo-

Simonet Theol. Tom. 2.

theticum, quo mens judicat aliquid hic & nunc esse vel non esse agendum, si talis intentio habeatur; tertium etiam particulare, sed absolutum, quo mens absolute & simpliciter judicat, aliquid esse vel non esse agendum hic & nunc. Atqui quolibet ex illis judiciis intellectus movere potest voluntatem: quolibet enim ex illis judiciis posito, voluntas operari potest, quia quodlibet ex illis judiciis proponit voluntati objectum vel ut bonum, vel ut malum; & hoc ipso quod voluntati proponitur objectum vel ut bonum, vel ut malum, voluntas potest circa illud operari.

Propter eandem rationem intellectus movere potest voluntatem per judicium speculativum, & apprehensionem complexam, quia scilicet posito judicio speculativo, aut apprehensione complexa, voluntas operari potest: cum judicium speculativum & apprehensio complexa proponant voluntati objectum vel ut bonum, vel ut malum. Certè visio beatifica est tantum apprehensio complexa, & tamen cum ea voluntas operatur. Item judicando virtutem esse quid pulcrum, & vitium esse quid turpe, voluntas accenditur ad amorem virtutis, & ad odium vitii.

RESPONSIO III.

Phantasia movere potest voluntatem, mediante intellectu.

Prob. Nam intellectus sæpè judicat aliquid esse appetendum vel fugiendum, quia phantasia tale objectum tali modo percipit. Ergo sæpè contingit ut voluntas appetens vel fugiens aliquod objectum, quia intellectus judicat illud esse appetendum vel fugiendum, appetat vel fugiat illud, quia phantasia tale objectum tali modo percipit: quod est, voluntatem moveri à phantasia, mediante intellectu.

RESPONSIO IV.

Appetitus materialis potest movere voluntatem.

Prob. Nam voluntas sæpè ita sollicitatur ab appetitu materiali, ut moribus ejus obsequatur. Mover autem voluntatem appetitus materialis tum immediate, tum mediatè, seu mediante intellectu. Mover immediate, in quantum anima percipiens immutationem factam in corpore, sollicitatur ad prosecutionem vel ad fugam objecti, hoc ipso quod hæc immutatio grata est vel ingrata. Mover mediatè, in quantum sæpè contingit, ut voluntas prosequatur vel fugiat objectum aliquod, quia mens judicat illud esse prosequendum vel fugiendum, quod, seclusa passione, non judicaret: nam communiter de rebus judicamus, pro ut actu afficimur. Passiones autem sic movent voluntatem, ut non eam necessitent; potest enim saltem cum auxilio gratiæ illis resistere: possunt tamen ita vehementes esse, ut ulum rationis tollant, & tunc voluntas necessitur.

ARTICULUS III.

Utrum voluntas moveat alias potentias, & eis imperet, & quomodo.

Nota. Imperium est actio, qua superior movet & applicat inferiorem ad agendum. Duplex est, politicum scilicet & desporicum. Politicum est illud, cui interior reluctari potest; desporicum verò, cui reluctari non potest inferior. Utrumque iterum duplex, directum & indirectum. Directum est illud, quo superior per se immediate; indirectum quo non per se, sed per alium movet & applicat inferiorem ad agendum.

RESPONSIO I.

Voluntas imperat intellectui, sed politicè tantum.

Prob. 1. pars. Voluntas applicat intellectum ad agendum. Nam v. g. cum volumus, studia intermitimus, & ad illa redimus, cum volumus. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Intellectus resistere potest, & sæpè resistit voluntati. Sic sæpè, quantumcumque velimus mentem

Y 3

mentem avertere à certis cogitationibus, tamen non possumus. Ergo, &c. Ratio est, quia sapè, anima planè reluctante, excitantur certa phantasmata, quibus commoveretur organum internum, qua commotione facta, non potest anima non percipere & cognoscere. Item sapè commotio, facta in organo interno, tanta est, ut diu, etiam invita anima, perseveret; quia perseverante, non potest anima non perseverare in perceptione & cognitione.

RESPONSIO II.

Voluntas imperat phantasiam, sed politicè tantum.

Prob. 1. pars. Nam voluntas applicat phantasiam ad perceptionem certorum objectorum, & ab aliorum perceptione avocat. *Prob. 2. pars.* Nam phantasia resistere potest, & sapè resistit voluntati: cum sapè, anima omnino repugnante, certis, puta obsecris objectis adhaereat, propter rationem allatam Relp. I. Potest enim ab objectis illis, vel eorum phantasmatis commotio, facta in organo interno, continuari, anima omnino invita, vel à dæmone, vel à sanguine ad cerebrum appellente, vel ab aliis phantasmatis affinitatem aliquam aut connexionem cum illa commotione habentibus, vel propter singularem ad illam commotionem fibrarum organi habilitatem, sive à generatione instam, sive usu comparatam.

RESPONSIO III.

Voluntas imperat appetitui materiali, sed politicè tantum, & indirectè.

Prob. Nam 1. voluntas potest utcumque applicare appetitum materiale ad actiones suas, eumque ab illis cohibere: possumus enim utcumque pro arbitrio passiones compescere, & excitare. 2. Appetitus materialis resistere potest, & quandoque resistit: quandoque epim, reluctante anima, excitantur passiones in corpore, & excitare quandoque adeo furunt, ut vix ac ne vix quidem cohiberi & componi possint. Quomodo autem hoc utrumque fiat, supra explicatum est. 3. Voluntas non applicat appetitum materiale ad actiones suas, aut ab illis cohibet per se ipsam immediatè, sed per phantasiam, cujus est excitare talia phantasmata, à quibus causatur talis commotio in organo interno, ex qua sequitur talis determinatio spirituum animalium, quæ tali actioni appetitus materialis prærequiritur. Phantasia autem phantasmata excitat, sicut organum interni ex imperio voluntatis singulatum pertentando, donec incidat in illas, quæ continuitatem habent cum phantasmate, quod queritur: tunc excitatur phantasma, & motum fibrarum modificat. Hinc talis perceptio, talisque spirituum animalium determinatio. Hinc talis actio appetitus materialis, & talis passio.

RESPONSIO IV.

Voluntas imperat despotice virtuti motrici membrorum externorum.

Prob. Nam pro arbitrio movemus v. g. pedes & manus, sic ut non possint non moveri, cum moveri efficaciter volumus, quandiu sana sunt, & expedita ad motum. Porro voluntas imperat etiam despotice sensibus externis: nam v. g. positis omnibus ad videndum requisitis, possumus videre vel non videre pro arbitrio. Hoc autem imperium est indirectum tantum, quia v. g. in tantum videmus, vel non videmus pro arbitrio, in quantum pro arbitrio, mediante virtute motrice, aperimus vel claudimus oculos.

Quæres. Utrum voluntas etiam sibi imperet? R. Si imperium strictè sumitur, voluntas sibi non imperat, quia ratio superioris & inferioris non possunt convenire eidem secundum idem. At si imperium latius sumitur pro qualibet applicatione ad actionem, voluntas sibi imperat, & quidem despotice, in quantum se ipsam applicat ad agendum, sic ut non possit non velle aliquid, quando efficaciter, & quidem certa quadam efficacia, vult illud velle. Dico, effi-

caciter: cum enim tantum inefficaciter vult velle aliquid, tunc non vult illud.

Quæres. An non etiam voluntas imperet appetitui sensitivo? *Resp.* Appetitus sensitivus, propriè loquendo, locum non habet in homine. Nam propriè loquendo, appetitus sensitivus est facultas animæ prosecutiva boni, & averfativa mali sensibilis ex prævia cognitione purè materiali, & consequenter facultas animæ purè materialis. Unde appetitus sensitivus brutorum est animantium, non hominis, in quo unica est anima, eaque spiritualis; nec est alia facultas propriè prosecutiva boni, & averfativa mali sensibilis, præter voluntatem, quæ cum sit potentia spiritualis, non agit aut agere potest, & consequenter non prosequitur bonum, aut averfatur malum sensibile, nisi ex prævia cognitione spirituali. Igitur in homine, præter voluntatem, quæ prosequitur bonum, & averfatur malum sensibile ex prævia cognitione spirituali, non est alius appetitus, nisi appetitus materialis, qui, quia purè materialis est, ad quare distinguatur ab anima rationali, & omnibus ejus facultatibus, estque principium effectivum aut quasi effectivum passionum, seu immutationum illarum, quæ sunt in corpore ad præsentiam aut recordationem boni vel mali sensibilis, nec nisi impropriè appetitus dicitur: eatenus enim prosequi bonum & averfari malum sensibile dicitur, quatenus per immutationem, quam causat in corpore ad præsentiam vel recordationem boni sensibilis, sollicitat voluntatem ad illud prosequendum, & per immutationem, quam causat in corpore ad præsentiam vel recordationem mali sensibilis, sollicitat & adjuvat voluntatem ad illud fugiendum.

Observa. Appetitus materialis, quæ principium est passionum, quibus voluntas sollicitatur ad prosecutionem boni sensibilis abentis, dicitur & est concupiscentia strictè sumpta. Hinc 1. Concupiscentia (supple semper, strictè sumpta) est potentia purè materialis, & adequare distincta ab anima rationali. 2. Concupiscentia subjacet immediatè organo sensus interni, quatenus ex tali commotione hujus organi sequitur talis determinatio spirituum; & ex tali determinatione spirituum, talis determinatio concupiscentiæ; & ex tali determinatione concupiscentiæ, talis fit immutatio in corpore. Unde non potest voluntas nisi mediatum in concupiscentiam exercere imperium, mediante scilicet intellectu, & sensu interno, excitando, continuando, promovendo, aut impediendo, minuendo, extinguendo talem commotionem fibrarum organi interni. 3. Voluntas non modo non imperante, sed etiam omnino repugnante, potest concupiscentiam erumpere in actus suos, eosque continuare & promovere, quia talis commotio in organo interno potest excitari, continuari & promoveri, voluntate non modo non imperante, sed etiam omnino reluctante. Unde imperium voluntatis in concupiscentiam non est despoticum, sed politicum tantum. 4. Hinc concupiscentiæ motus seu actus quandoque sunt omnino involuntarii, voluntate scilicet, quantum potest, illis repugnante; & tunc sunt effectus peccati originalis, propter quod homo dono integritatis spoliatus est, & possunt esse causa peccati, quatenus ad peccandum sollicitant; at non sunt peccatum, quia omne peccatum voluntarium est & liberum: quandoque sunt voluntarii, voluntate scilicet illos procurante, aut saltem illis non obistente, quantum potest; & tunc cum actu voluntatis, quo procurantur, aut saltem permittuntur, faciunt unum numero peccatum, cujus sunt veluti materiale, actus verò voluntatis formale. Sed

Observa adhuc. Perceptio motus concupiscentialis, seu immutationis illius, quæ fit in corpore à concupiscentia, est actus potentie sensitivæ, quæ ad tactum bene reducitur, ac proinde est actus potentie necessariæ, & à voluntate distinctæ: unde nec est, nec potest esse per se & immediatè voluntaria & libera, sed mediatè tantum, & per denominationem extrinsecam,

secam, peccatam à voluntate illam procurante, vel continuante, aut saltem non impediende, quantum potest, procurando scilicet, vel continuando, aut saltem non impediendo motum concupiscentialem, quocum naturali necessitate connexa est. Hæc igitur perceptio, quæ est carnalis delectatio, quandoque omnino involuntaria est, quandoque voluntaria. Est omnino involuntaria, quando voluntas omnino reluctatur actioni concupiscentiæ, & tunc non est peccatum: est voluntaria, quando voluntas, mediante organo sensus interni, procurat, vel continuat, aut saltem non impedit, quantum potest, actionem concupiscentiæ, & tunc peccatum est: tunc enim unum numero peccatum constituit cum actione concupiscentiæ & actu voluntatis.

Observa denique. Concupiscentia erumpente in actum suum, voluntas ipsa quandoque erumpit in actum indeliberatum, quandoque non erumpit. Quod sic explico. Actio sensus interni & actio intellectus sic inter se natura connexæ sunt, ut percipiente sensu interno, naturali necessitate intellectus intelligat, & vicissim intellectu intelligente sensus internus naturali necessitate percipiat. Supponamus ergo bonum aliquod sensibile, vel per se, vel per suum phantasma, ita ante omnem rationis advertentiam commovere organum internum, ut concupiscentia ad actum suum determinetur: tunc non solum fit immutatio in corpore, sed etiam sensus internus percipit commotionem factam in organo suo, & concomitanter intellectus naturali necessitate intelligit objectum, à quo facta est illa commotio. Intellectus autem sic objectum illud intelligens, vel repræsentat illud voluntati ut bonum tantum, vel partim ut bonum, partim ut malum, licet confusè & imperfectè. Si primum, voluntas erumpit in motum indeliberatum prosecutionis. Si secundum, voluntas hæret quasi suspensa inter actum prosecutionis & averfivum. Unde motus primò primi, hoc est, motus, qui anteverit ad exercitium libertatis prærequisitam rationis advertentiam, quandoque sunt solius concupiscentiæ, quandoque concupiscentiæ & voluntatis per talem objecti apprehensionem ad actum indeliberatum prædeterminatæ; sic tamen ut motus primò primus, qui est à voluntate, non sit causa motus primò primi, qui est à concupiscentia, nec vicissim, sed ambo sese merè concomitanter habeant. Itaque motus primò primus, qui est à concupiscentia, non est peccatum, quia non est voluntarius: nam nequidem mediata est à voluntate. Item motus primò primus, qui est à voluntate, non est peccatum, quia non est liber, sed voluntarius tantum.

DISPUTATIO II.

De voluntario & involuntario.

ARTICULUS I.

Quid sit voluntarium.

Resp. Voluntarium dicitur relatè ad voluntatem. Rectè igitur describitur, id quod fit aut quasi fit à voluntate operante ex prævia cognitione, intellectuali scilicet: cum enim voluntas sit facultas purè spiritualis, operari non potest, nisi ex prævia cognitione spirituali, ut jam observatum est. Hujus autem descriptionis bonitas patet ex eo, quod conveniat omni & soli voluntario. Duo itaque requiruntur ad voluntarium. Primum est, ut fiat aut quasi fiat à voluntate illius, qui operatur, & respectu cuius dicitur voluntarium. Secundum est, ut fiat vel quasi fiat ex cognitione prævia, ita ut is, qui operatur, cognoscat id, quod fit vel quasi fit, & dicitur voluntariè fieri vel quasi fieri. Sed

Observa. Tripliciter fieri potest aliquid à voluntate. 1. Ut actus elicitus. Hoc modo fiunt à voluntate

Simonnet Theol. Tom. I.

omnes ejus actus immediati, ut volitio, nolitio, amor, odium, &c. 2. Ut actus imperatus. Hoc modo fiunt à voluntate actus aliarum potentiarum ipsi subjectarum, quoties scilicet ex ejus imperio & applicatione operantur. Porro quia voluntas sibi ipsi per unum actum potest imperare alium, potest idem actus esse simul elicitus & imperatus. Est elicitus, quatenus fit immediatè à voluntate; est imperatus, quatenus fit à voluntate ad hunc actum applicata per alium suum actum. 3. Aliquid fit à voluntate, ut effectus secutus ex illius aliquo actu, vel elicitio, vel imperato. Hoc modo fit à voluntate homicidium v.g. quod sequitur ex percussione imperata à voluntate. Potest igitur aliquid esse voluntarium, vel quia immediatè producit à voluntate, vel quia ab ea imperatur, vel quia sequitur ex aliquo actu ab ea vel immediatè producto, vel imperato.

Observa 2. In descriptione voluntarii addimus hæc verba, aut quasi fit, propter omissiones puras liberas, quæ non sunt operationes, sed quasi operationes, quatenus sunt virtuale & interpretativum libertatis exercitium. Nam si possitis omnibus ad volendum & agendum prærequisitis, voluntas abstinere ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, & perinde se habet in æstimatione prudenti, ac si positivè noller, positivè veller non agere, proindeque tunc virtualiter & interpretativè exercet libertatem suam, virtualiter & interpretativè volendo non agere. Supposita igitur possibilitate omissionis puræ liberæ, potest aliquid quasi fieri à voluntate tribus modis. 1. Ut ommissio actus eliciti. Sic ommissio actus charitatis est à voluntate non amante Deum in iis circumstantiis, in quibus habet omnia prærequisita ad eum amandum & purè ab actu amoris abstinere. 2. Ut ommissio actus imperati. Sic ommissio auditionis sacri est à voluntate non imperante omnia ad audiendum sacrum necessaria, sed ab omni prorsus actu cessante in iis circumstantiis, in quibus adsunt omnia prærequisita ad imperandum id omne, quod ad audiendum sacrum necessarium est. 3. Ut effectus secutus ex ommissione actus vel eliciti, vel imperati. Sic homicidium v.g. est à voluntate illius qui potuit illud impedire, & tamen non impedivit, non quia positivè noluit, sed præcisè quia non voluit illud impedire, & otiosus spectator adfuit, suspensus omni actu voluntatis suæ. Supposita igitur possibilitate omissionis puræ liberæ, potest aliquid voluntarium esse, non solum ut actus elicitus, sed etiam ut pura ommissio actus eliciti; non solum ut actus imperatus, sed etiam ut pura ommissio actus imperati; non solum ut effectus secutus ex actu vel elicitio vel imperato, sed etiam ut effectus secutus ex pura omissione actus vel eliciti vel imperati.

Observa 3. Denominatio voluntarii est extrinseca respectu actuum aliarum à voluntate potentiarum, eique subjectarum, & respectu effectuum, qui ex illis actibus à voluntate imperatis sequuntur. Nam in tantum actus illi cum effectibus, qui ex illis sequuntur, voluntarii sunt, in quantum potentia, à quibus immediatè producuntur, applicantur à voluntate operante cum cognitione. Quæ voluntatis applicatio est illis omnino extrinseca, & sine illa possunt cum suis effectibus esse quoad totum suum esse physicum & intrinsecum. At respectu actuum elicitorum voluntatis, voluntarii denominatio est intrinseca & essentialis. Nam actibus elicitis voluntatis intrinsecum & essentialiter est, ut immediatè emanent à voluntate; cum sint intrinsecè & essentialiter vitales tendentiæ principii per se tendentis, & se ipsum vitaliter exercentis circa objectum aliquod. Unde actus eliciti voluntatis, nequidem divinitus esse possunt, nisi à voluntate eliciantur. Aliud est de denominatione liberi, quæ extrinseca est, respectu omnium actuum tam elicitorum, quam imperatorum, & effectuum ex illis secutorum. Hæc enim denominatio est à voluntate, ut activè indifferente ad opposita, & quæ tali operante cum cognitione. At sublato hoc modo operandi, hoc est, voluntate sine indifferentia activa operante, adhuc possunt esse